


(27)





# INDEX LECTIÖNUM

IN

## LYCEO REGIO HOSIANO BRUNSBERGENSI

P E R H I E M E M

A DIE XV OCTOBRIS ANNI MDCCCLXXVI

INSTITUENDARUM.

PRAECEDIT PROF. DR. FRANCISCI DITTRICH DE TERTULLIANO CHRISTIANAE VERITATIS REGULAE  
CONTRA HAERETICORUM LICENTIAM VINDICE COMMENTATIO. PARTICULA I.

BRUNSBERGAE.

T Y P I S H E Y N E A N I S.



# INDEX ELECTORUM

XI


LYCEO REGIO HOSIANO BRUNNENGENSI

BRUNNENGEN

LYCEI REGII HOSIANI H. T. RECTOR

Dr. FRANC. DITTRICH,

PROFESSOR PUBLICUS ORDINARIUS.



1943:202

BUNDESBIBLIOTHEK

intercessione ab illis a Regione centrosoe suorum gaudiis agnoscere. Ius iurandum sollempne undicatum in iurisdictione et iurisdictio illi hoc ubi quamque iurisdictionem proprietatem capitulum regale ministerum quod secundum regulam minus minus. "Invenientur marini molli ni nubes in latitudine (B. d. A.) remittit utrumque

## LYCEI REGII HOSIANI BRUNSBURGENSIS

### R E C T O R E T S E N A T U S

#### CIVIBUS SUIS

S.

Nescio an quidquam majus ecclesiae primaevae periculum attulerit quam Gnosticorum haeresis. Omnes enim haeretici illi curam ac diligentiam adhibebant, ut christianos perturbarent et ad suas partes traherent. Quum multorum animos et eorum maxime, qui ex scholis philosophorum prodierant et omni genere literarum tunc cultarum imbuti erant, a christiana religione propterea alienari cognovissent, quod christiani tantam vim fidei simplici tribuere nullumque ad suam societatem admittere solerent, qui non omnem doctrinam traditam firmiter se crediturum promisisset, et Christum crucifixum praedicarent adorandum: toti in eo erant, ut has aliasque difficultates ac potissimum „scandalum crucis“ removerent et „Stoicum et Platonicum et dialecticum christianismum proferrent“ (Tert. de praescr. 7<sup>1)</sup>), qui ethnici etiam eruditis doctisque probaretur et viam ad ecclesiam christianam muniret. Unde doctrinam christianam ut simpliciorem rudibusque ingenii accommodatam aspernati non fidem postulabant, sed „examine se credere“ (l. c. 23) profitebantur illudque „Quaerite et invenietis“ et „Examine et quod bonum est tenete“ in ore habebant, perfectam sapientiam profundiora doctrinae traditae intelligentiam promittebant. Quumque magnus tum honor revelationibus et traditionibus arcanis haberetur multique ethnici ad mysteria concurrent, ut pleniori scientia initiantur, et ipsi haeretici revelationes secretas (*φανερωσεις*) sibi factas et arcanam scientiam<sup>2)</sup> ab apostolis, qui non omnibus omnia tradissent, „ad suam conscientiam manasse“ (l. c. 25) asserere non cessabant. Quae quum ita essent, quid mirum, quod haud paucos ethnici philosophiae splendore et sapientiae desiderio captos ad se allicerent<sup>3)</sup> et ipsos christianos „inquieta sua curiositate vitiarent“ (l. c. 30) et ita „venena doctrinarum suarum disseminarent“ (l. c.). Et ne quid deesset, quod christianorum animos perturbaret, suas scholas ecclesiastiques condebant, suos constituebant episcopos, presbyteros, diaconos, suos seorsim habebant conventus, ita ut revera multis dubitatio moveretur, quae tandem vera esset ecclesia Christi et ubinam sana doctrina ab apostolis tradita praedicaretur. Unde factum videmus, ut non

<sup>1)</sup> Quinti Septimii Florentis Tertulliani Quae supersunt omnia edidit Franciscus Oehler, Lipsiae 1853.

<sup>2)</sup> „occultum evangelium“ (l. c. 23); „tectum aliquod sacramentum“ (l. c. 26).

<sup>3)</sup> Tert. de praescr. 1—5. cf. Iren. adv. haer. I, 1: „καὶ πολλοὶ ἀνατρέποντιν, ἀπάγοντες αὐτοὺς προσάσει γνώσεως . . . ὡς οὐδέποτε τι καὶ μεῖζον ἔχοντες ἐπιδεῖξαν“.

solum simplices christiani, sed „episcopi, viduae, virgines, doctores, martyres“ a fide desciscerent multique dubitatione aestuentes quaererent: „Quare illa vel ille fidelissimi et prudentissimi et usitatisim in ecclesia in illam partem transierunt?“ Horum enim defectu haereses ipsae veritatem videbantur obtinere (l. c. 3).

Quod periculum ut averterent, maximi doctissimum ecclesiae antistites et quicunque doctrina pollebant, nihil antiquius habuerunt, quam ut hanc haeresim detegerent, impugnarent, refellerent. Inter quos, ut taceam ipsos apostolos et eorum discipulos Clementem Romanum Ignatiumque Antiochenum, nomino Justinum Martyrem, qui scripsit contra Marcionem (Iren. adv. haer. IV, 6), Miltiadem (Tert. adv. Valent. 5), Modestum (Eus. h. e. IV, 25), Musanum (Eus. h. e. IV, 28), Rhodonem (Eus. h. e. V, 13), quorum omnium libros desperitos esse lugemus, imprimis autem Irenaeum Lugdunensem, cuius contra Valentini et Marcionem et de monarchia scripta non pervenerunt ad nos, exstant vero libri V adversus haereses, et Tertullianum Africanum. Quorum plurimi, quantum scimus seu conjecture nos licet, in eo maxime elaborabant, ut singulos haereticorum errores de deo uno et trino, de Christo salvatore, de bono et malo cet. quum sanae rationi humanae tum doctrinae christiana repugnare demonstrarent, alii vero sua et aliorum experientia docti, tali disputandi modo ad bonam frugem perveniri non posse, ut malum funditus extirparent et haereticis omnem subterfugiendi viam praeculderent, Gnosticorum prima christianae veritatis cognoscendae principia impugnare cooperunt simul negantes, hos ipsos, quum ex aliis quam ex christianae religionis fontibus sua dogmata haurirent ac diversam prorsus christianae veritatis normam ac regulam sequerentur, jure sibi christianorum nomen vindicare posse. Quod Irenaeus in libro praesertim tertio adv. haer. inchoaverat, id Tertullianus, qui, quod testantur scripta, ut omnes fere auctores sacros et profanos, ita Irenaei quoque libros diligenter perflustraverat<sup>4)</sup>, pro magno suo subtilique ingenio persecutus est accurateque absolvit quum alibi passim tum maxime in libro „de praescriptionibus haereticorum“. Ut enim, missis longissimis illis et inutilibus plerumque disputationibus, breviter et argumento ad commune indoctorum quoque christianorum judicium popularemque intelligentiam accommodato haereticos refutaret, hanc (praeter alias ut novitatis seu posteritatis et proprietatis) illis exceptionem seu praescriptionem opposuit, quod non curantes regulam fidei christiana regulaque traditionis sua dogmata proferrent. Et hanc disputandi viam, cuius prima lineamenta jam in „apologetico“ nobis occurunt (c. 47) ingressus est, priusquam ad singulos specialiter haereticos refutandos se converteret<sup>5)</sup>, et quasi quoddam „compendium praescriptionis“, quo nullum efficacius contra haereticorum impetus praesidium inveniri possit, etiam atque etiam commendat (de bapt. 2, 3; de carne Christi 2; adv. Marc. I, 1). Qua in re ita Tertullianus procedit, ut non solum veram regulam christiana fidei manifestam faciat, sed etiam effrenatam haereticorum licentiam, qua in veritate investiganda utebantur, palam ostendat, imaginem simul haeresis exprimens, qua clarius et dilucidior vix possit desiderari. Tertulliani vestigiis insistentes et eadem disputandi via ingredientes et nos hac de re disserere in animo habemus, ut, quantum in nobis est, lucem aliquam afferamus quaestioni illi de primaevae ecclesiae regula fidei hodie etiam multum tractatae et nonnihil conferamus

<sup>4)</sup> cf. adv. Valent. 5: „Mibi autem cum archetypis erit limes principalium magistrorum, non cum affectatis ducibus passivorum discipulorum. Nec undique dicemur ipsi nobis fixisse materias, quas tot jam viri sanctitate et praestantia insignes, nec solum nostri antecessores, sed ipsorum haeresiarcharum contemporales instructissimis voluminibus et prodiderunt et retulerunt, ut Justinus, philosophus et martyr, ut Miltiades, ecclesiarum sophista, ut Irenaeus, omnium doctrinarum curiosissimus explorator, ut Proculus noster, virginis senectae et christiana eloquentiae dignitas, quos in omni opere fidei, quemadmodum in isto, optaverim assequi“.

<sup>5)</sup> cf. de praescr. 44: „Sed nunc quidem generaliter actum est nobis adversus haereticos omnes ... De reliquo, si dei gratia adnuerit, etiam specialiter quibusdam respondebimus“.

ad veram haeresis naturam atque indolem cognoscendam. Ipsius Tertulliani plerumque utemur verbis neque veremur, ne quis illis nos annumerandos esse censeat, qui „propria opera more centonario ex multis hinc inde compositis in unum sareint opus“ (de praescr. 38).

### I. De fontibus veritatis christiana.

1. Quisquis Tertulliani libros vel obiter attigerit, non poterit non animadvertere, quam alienum ille plerumque a philosophia et philosophis animum ostendat. Persuasum enim habet, philosophos plus erroris quam veritatis edidisse et divulgasse nihilque omnino contulisse ad hominum mores emendandos. „Quinimmo et deos vestros palam destruunt et superstitiones vestras commentariis quoque accusant laudantibus vobis. Plerique etiam in principes latrant sustinentibus vobis“ (apol. 46). „Formas rebus imponit, eas nunc peraequat, nunc privat, de certis incerta praejudicat, provocat ad exempla, quasi comparanda sint omnia, omnia praescribit, proprietatibus etiam inter similia diversis, nihil divinae licentiae servat, leges naturae opiniones suas facit“ (de anima 2). Deus hanc sapientiam saecularem stultitiam vocat stultaque mundi in confusionem etiam philosophiae ipsius elegit. Ea est enim materia sapientiae saecularis, temeraria interpres divinae naturae et dispositionis (de praescr. 7). „O miserum Aristotelem! qui illis dialecticam instituit, artifice struendi et destruendi, versipellem in sententiis, coactam in conjecturis, duram in argumentis, operariam contentionum, molestam etiam sibi ipsi, omnia retractantem, ne quid omnino tractaverit. Hinc illae fabulae et genealogiae interminabiles et quaestiones infructuosae et sermones serpentes velut cancer..“ (de praescr. 7). Si quid congruum veritati christiana invenerunt philosophi, „communes sententias propriis argumentationibus vestiunt contrariis alicubi regulis nostris, .... ut prope exclusa sit veritas a philosophia per beneficia in illam sua“. Unde „urgemur et communes sententias ab argumentationibus philosophorum liberare ...., revocando quaestiones ad dei literas, exceptis plane quae sine laqueo alicujus praejudicii ad simplex testimonium licebit adsumere“ (de anima 2).

Nihilominus Tertullianus, quamvis parvi ac fere pro nihilo ducit philosophiam, rationi humanae, ex qua philosophi sua placita hauriebant, etiam inter fontes doctrinae christiana locum quantulumcunque dare non dubitat. Negare enim non potest, philosophos persaepe veritates doctrinae revelatae minime repugnantes sui ingenii vi cognovisse et scriptis tradidisse. „Plane non negabimus, aliquando philosophos juxta nostra sensisse. Testimonium est veritatis eventus ipsius. Nonnunquam et in procella confusis vestigiis coeli et freti aliqui portus offenditur prospero errore, nonnunquam et in tenebris aditus quidam et exitus deprehenduntur caeca felicitate“ (de anima 2). Nec tamen hoc soli casui tribuendum est; nam „et natura pleraque suggeruntur quasi de publico sensu, quo animam deus dotare dignatus est. Hanc naeta philosophia ad gloriam propriae artis inflavit“ (l. c.). At monendum hic videtur, Tertullianum non abhorre a sententia, philosophos non pauca placita hausisse ex sacra scriptura, „thesauro illo posteriori cuique sapientiae“, et „de prophetarum fonte potasse“ (apolog. 47) librisque apocryphis (de anima 2; de test. an. 5; ad nat. I, 4). Anima autem humana ut rationis investigatione ita etiam haud raro suo ipsius testimonio veritates christianas comprobat i. e. eruptionibus immediatis et exclamationibus sponte emissis. „Quae licet carcere corporis pressa, licet institutionibus pravis circumscripta, licet libidinibus et concupiscentiis evigorata, licet falsis deis exancillata, cum tamen resipiscit, ut ex crapula, ut ex somno, ut ex aliqua valetudine, et sanitatem suam patitur, deum nominat hoc solo, quia proprie verus hic unus. „Deus bonus et magnus“, et „Quod deus dederit“, omnium vox est. Iudicem quoque contestatur illum „Deus videt“ et „Deo commendo“ et „Deus mihi reddet“. O testimonium animae naturaliter christiana!“ (apolog. 17).

Fusius latiusque hac de re Tertullianus disputat in libro qui inscribitur „de testimonio animae“. Non habet in animo ex literis receptissimis quibuscumque philosophorum vel poetarum vel quorumlibet

doctrinae ac sapientiae saecularis magistrorum testimonia excerpere christianaे veritatis, quum ad hoc magna curiositate et majore longe memoria opus sit, sed testimonium animae, „non scholis formatæ, bibliothecis exercitatae, academiis et porticibus Atticis pastæ ac proinde sapientiam ructantis“ (de test. an. 1). „Te“, ait, „simplicem et rudem et impolitam et idioticam compello, qualem te habent, qui te solam habent, illam ipsam de compitu, de trivio, de textrino totam. Imperitia tua mihi opus est, quoniam aliquantulae peritiae tuae nemo credit“ (l. c.). Haec anima sua sponte Deum testatur et esse et bonum esse (hominem vero malum, quia a Deo abscesserit) et justum et daemonia esse et ipsam se esse immortalem (l. c. 1. 2. 3. 4.). „Haec testimonia animae quanto vera, tanto simplicia, quanto simplicia, tanto vulgaria, quanto vulgaria, tanto communia, quanto communia, tanto naturalia, quanto naturalia, tanto divina“ (l. c. 5). „Mirum, si a deo data novit homini divinare? Tam mirum, si eum, a quo data est, novit? Etiam circumventa ab adversario meminit sui auctoris et bonitatis et decreti ejus et exitus sui et adversarii ipsius. Sic mirum, si a deo data eadem canit, quae deus suis dedit nosse?“ (l. c.)<sup>6)</sup>. Eiusmodi eruptiones animae sunt doctrinae naturae congenitae et ingenitae conscientiae tacita commissa, non opinione in vulgus emissae literarum usu. Nam „certe prior anima quam litera, et prior sermo quam liber, et prior sermo quam stilus, et prior homo ipse quam philosophus et poeta. Numquid ergo credendum est, ante literaturam et divulgationem ejus mutos ab hujusmodi pronuntiationibus homines vixisse? Nemo deum et bonitatem ejus, nemo mortem, nemo inferos loquebatur?“ (l. c. 5). „Crede igitur tuis et de commentariis nostris magis crede divinis; sed de animae ipsius arbitrio perinde crede naturae. Elige quam ex his fidelius sororem observes veritatis. Si de tuis literis dubitas, neque deus neque natura mentitur. Ut et naturae et deo credas, crede animae, ita fiet, ut et tibi credas“ (l. c. 6).

Patet ex locis modo laudatis, non solum animam rationalem, sed etiam naturam fontem quendam dici veritatum christianarum. Hanc autem naturam Tertullianus plerumque externam naturam rerumque universitatem vult intelligi. En ejus verba: „Quaerens igitur dei legem habes communem istam in publico mundi, in naturalibus tabulis, ad quas et apostolus solet provocare, ut cum in velamine feminæ „Nec natura vos, inquit, docet?“ ut cum ad Romanos natura facere dicens nationes ea, quae sunt legis, et legem naturalem suggerit et naturam legalem“ (de cor. milit. 6). Doceat enim „ipsa natura, quae legis est instar ignorantibus legem“ (adv. Marc. V, 13), quomodo rebus fruendum sit i. e. naturalem rerum usum, quanquam „dei aemulus universam conditionem (i. e. creaturam) certis usibus homini mancipatam cum ipso homine corrupit, unde eam et apostolus invitam dicit vanitati succidisse, vanis primum usibus, tum turpibus et injustis et impiis subversam“ (de cor. milit. 6)<sup>7)</sup>.

Non alienum a re videtur inquirere, quomodo rationem humanam, fontem christianaे veritatis, ad naturam Tertullianus se habere doceat. Modo enim ratio, quidquid cognoscit, ex semetipsa, ex sua natura, conscientia et divinationibus petit, id quod eruptiones illae immediatae exclamationsque variae demonstrant, modo ex ipsa haurit natura externa, ab hac excitata et edocta. „Magistra natura, anima discipula“ (de test. an. 5). Ita illa edocet, ista perdisceit resurrectionem mortuorum. „Totus

<sup>6)</sup> cf. de carne Christi 12: „Porro quomodo (rationalis anima) quae efficit hominem rationale animal, si ipsa rationem suam nescit, ignorans semetipsum? Sed adeo non ignorat, ut auctorem et arbitrum et statum suum norit“.

<sup>7)</sup> cf. de cor. milit. 8: „Admittens quidem utensilium communionem, sed provocans eam ad rationalium et irrationalium distinctionem, quia passivitas (i. e. promiscuus rerum usus) fallit obumbrans corruptelam conditionis, qua subjecta est vanitati. Dicimus enim, ea demum et nostris et superioribus usibus et dei rebus et ipsi Christo competisse, quae meras utilitates et certa subsidia et honesta solitae necessariis vitae humanae procurant, ut ab ipso deo inspirata credantur, priore prospectore et instructore et oblectatore, si forte hominis sui; quae vero hunc ordinem excesserunt, ea non convenire usibus nostris, praesertim quae propterea scilicet nec apud saeculum nec in dei rebus nec in conversationibus Christi recognosci est“.

7

hic ordo revolubilis rerum testatio est resurrectionis mortuorum. Operibus enim praescripsit deus ante quam literis, viribus praedicavit ante quam vocibus. Praemisit tibi naturam magistrum, summissurus et prophetiam, quo facilius credas prophetiae discipulus naturae“ (de resurr. carnis 12). Et quō quis altius cogitat de natura et quo majorem aestimationem facit sapientiae majestatisque ipsi insitae, eo majorem auctoritatem etiam testimonio animae ex natura scientias suas haurientis tribuet. „Non puto cuiquam frivola et frigida videri posse, si recognitet naturae majestatem, ex qua censetur auctoritas animae. Quantum dederis magistrae, tantum adjudicabis discipulae. Magistra natura, anima discipula. Quicquid aut illa edocuit aut ista perdidicit, a deo traditum est, magistro scilicet ipsius magistrae“ (de test. an. 5).

Videre hinc licet, Tertullianum paene plus tribuere naturae quam animae rationali, ita ut non injuria empirismi ejusdam vel sensualismi argui possit. Et revera quum Academicci „sensuum fidem durius damnarent“, et ipse Plato „irrationalem pronuntiaret sensualitatem et opinioni complicitam“ (de anima 17), et qui hos sequebantur haeretici nonnulla dogmata christiana ut sensibus contraria in dubium vocarent, Tertullianus, ne fides christiana labefactaretur, tuendam sibi putavit sensum vim et auctoritatem. „Quid agis, Academia procacissima? Totum vitac statum evertis, omnem naturae ordinem turbas, ipsius dei providentiam exaeacas, qui cunctis operibus suis intelligendis, incolendis, dispensandis fruendisque fallaces et mendaces dominos praefererit sensus. An non istis universa conditio subministratur? An non per istos secunda quoque mundo instruetio accessit, tot artes, tot ingenia, tot studia, negotia, officia, commercia, remedia, consilia, solatia, victus, cultus ornatusque?... Non licet, non licet nobis in dubium sensus istos devocare, ne et in Christo de fide eorum deliberetur, ne forte dicatur, quod falso satanam prospectarit de coelo praecepitatum, aut falso vocem patris audierit de ipso testificatam ect.“ (de anima 17). Auctorem nostrum revera priores partes in cognoscenda veritate sensibus deferre, non vero rationi et intellectui, ex hisce ejus conjicias verbis: „Quomodo praeferatur sensui intellectus, a quo informatur ad cognitionem veritatis? Si enim veritates per imagines apprehenduntur, id est invisibilia per visibilia noseuntur ..., equidem ibi videtur intellectus duec uti sensu et auctore et principali fundamento, nec sine illo veritates posse contingi. Quomodo ergo potior erit eo per quem est, quo eget, cui debet totum, quod attingit? Ita utrumque concluditur, neque praeferendum sensui intellectum, per quem enim quid constat, inferius ipso est, neque separandum a sensu, per quod enim quid est, cum ipso est“ (l. c. 18).

Sed de his hactenus. Ex iis enim, quae attulimus, facile apparebit, e mente Tertulliani revera multum valere rationem humanam ad veritatem christianam cognoscendam. Ita quum judicaret, non solum etiam atque etiam, ut fidei christiana dogmata defenderet ac tueretur atque haereticorum errores refutaret, argumenta e rationis fonte petita affert, sed etiam, quae philosophi excogitaverunt et docuerunt, diligenter perscrutatur, examinat, ponderat et quae vera esse credit in suum usum vertit. Non vetat, sed postulat rationis usum. „Quippe res dei ratio; quia deus, omnium conditor nihil non ratione providit, disposuit, ordinavit, nihil non ratione tractari intelligique voluit“ (de poenit. 1). „Lex erit omne jam, quod ratione constiterit a quocunque productum“ (de cor. mil. 4). „Ceterum suspecta lex est, quae probari se non vult“ (apolog. 4).

2. At ratio humana neque unicus neque praecipuus christiana doctrinae fons habenda est. Certum enim est, solo naturali rationis lumine minime omnia, quae ut sciamus opus est, cognosci posse. „Omnis inaequalitas sententiae humanae usque ad dei terminos“ (de anima 26). Sapientibus et prudentibus absecunditus erat deus, „ad quem cognoscendum non sufficerat sapientia atque prudentia illorum“ (adv. Mare. IV, 25). Nam „ratio divina in medulla est, non in superficie et plerumque aemula manifestis“ (de resurr. carnis 3). „Sapientiae philosophorum infirmitatem contestatur varietas opinionum veniens de ignorantia veritatis“ (ad nat. II, 2). Alii ergo fontes quaerendi sunt, unde

plenam veritatem christianam hauriamus. Neque enim doctrina christiana genus philosophiae, sed divinum negotium (apolog. 46), omni philosophia sublimius, adeo ut jure dici possit: „Quid simile philosophus et christianus? Graeciae discipulus et coeli? . . . amicus et inimicus erroris? veritatis interpolator et integrator et expressor, et furator ejus et custos?“ (l. c.). Quare Tertullianus, examinatis philosophorum de anima humana opinionibus, „in nostras, inquit, jam lineas gradum colligam, ut quod philosophis medicisque respondi, christiano probem. De tuo, frater, fundamento fidem aedifica“ (de anima 26). Hoc autem veritatis christiana fundamentum statuit esse fidem revelationi per Christum factae habendam. „Cui enim veritas comperta est sine deo? . . . A deo discas, quod a deo habeas, aut nec ab alio, si nec a deo. Quis enim revelabit, quod deus texit?“ (de anima 1). Sapientibus defuit timor domini, quod est initium omnis sapientiae. „Ita qui deum timuerit, (supple etiamsi) ignotior omnium, deum omnium notitiam et veritatem assecutus plenam atque perfectam sapientiam obtinebit“ (ad nat. II, 2). Unde „nemo est sapiens . . . nisi christianus“ (de praescr. 3). Doctrina christiana divinitus revelata „prima est sapientia“ (ad nat. I, 4); quam qui fide amplectitur, majorem habet ac sibi acquiret scientiam, quam qui meram sequitur sapientiam philosophorum. Nam „fides contulit intellectum“ (adv. Marc. IV, 20. 25). Quod ut probet, iterum atque iterum (adv. Marc. IV, 20. 25; V, 11; de bapt. 10; apolog. 21) illud Jesaiae prophetae afferit: „Nisi credideritis, non intelligetis (Vulg. permanebitis)“. Igitur „qui vult videre Jesum, eredat“ (adv. Marc. IV, 36). „Quod a deo disceatur, totum est“ (de anima 2). „Nos porro quantula fide sumus, tantulo et intellectu“ (de bapt. 10). „Qui dei, per hoc quoque rationis compotes sunt“ (de poenit. 2). „Non eris sapiens, nisi stultus in saeculo fueris, dei stulta credendo“ (de carne Christi 5).

Haec vero fides summum hominis bonum est (de idol. 12) et christiano adeo necessaria, ut qui ea caret, ne nomen quidem illud meretur. „Si christianus es, crede, quod traditum est. . . . Nam et mortuus es, qui non es christianus, non credendo, quod creditum christianum facit“ (de carne Christi 2). „In primis hoc propono, unum utique et certum aliquid institutum esse a Christo, quod credere omnino debeant nationes“ (de praescr. 8). Atque ea, quae tradita sunt, christianus suo assensu comprobat, quamvis non omnia mente ac ratione penitus perspicere valeat. Fert enim ita fidei natura; nam „fides, non mediocri praemio destinata, difficultate constat“ (apolog. 21). Ob hanc fidei simplicitatem ut a Luciano, ita tunc quoque christianos ut homines simplices credulosque et cuivis praestigiatori aures praebentes derideri saepissime expertus est, nec tamen turbatur; nam „necessarium dedecus fidei“ (de carne Christi 5). Nihil fidei christiana tam inimicum atque contrarium, quam si qui proprio ingenio ac judicio nimis indulgentes traditam doctrinam, non satis credentes eam divinam esse, aspernantur vel mutant, „per quod in incertum miscuerunt, etiam quod certum invenerunt“ (apolog. 47). Quod ne fiat, totis, ut ita dicam, viribus elaborat Tertullianus, adeo ut ab omni paene rationis usu omnique cogitandi et philosophandi studio abhorreat videatur. „Quid ergo Athenis et Hierosolymis? quid academiae et ecclesiae? . . . Nostra institutio de portu Salomonis est, qui et ipse tradiderat, dominum in simplicitate esse quaerendum“ (de praescr. 7). At mitto haec postea hac de re latius disputaturus.

Veritates illas ut hominibus praedicarent, deus „viros justitiae innocentia dignos deum nosse et ostendere“ a primordio in saeculum emisit spiritu divino inundatos (apolog. 18). „Voces eorum itemque virtutes, quas ad fidem divinitatis edebant, in thesauris literarum manent nec istae latent“. Nam „quo plenius et impressius tam ipsum (deum) quam dispositiones ejus et voluntates adiremus, adjicit instrumentum literatura, si qui velit deo inquirere et inquisito invenire et invento credere et credito deservire“ (l. c.). Soli Judaei has literas habebant; „ex ipsis enim ad ipsos semper prophetae peroraverunt, scilicet ad domesticam dei gentem ex patrum gratia“. Ptolomeus, quem Philadelphum supernominant, homo eruditissimus et omnis literatura sagacissimus, libros a Judaeis

quoque postulavit, proprias ac vernaculae literas, et in Graecum sermonem transtulit, ita ut omnibus pateant. „Qui audierit, inveniet deum; qui etiam studuerit intelligere, cogetur et credere“ (l. c.) „Primam instrumentis istis auctoritatem summa antiquitas vindicat“ (l. c. 19), deinde, si dubitatur antiquitas, si non vetustas divinas probat scripturas, certe divinationes futura praefantes, quae ante omnium oculos quotidie fere, dum leguntur, probantur. „Idoneum, opinor, testimonium veritas divinationis. Hinc igitur apud nos futurorum quoque fides tuta est, jam scilicet probatorum, quia cum illis, quae quotidie probantur, praedicabantur. Eadem voces sonant, eadem literae notant, idem spiritus pulsat, unum tempus est divinationi futura praefanti“ (l. c. 20).

„Lex et prophetae usque ad Joannem“, limitem constitutum inter vetera et nova, ad quem desineret Judaismus et a quo inciperet Christianismus, cum quo sedatio facta est legis et prophetarum et initiatio evangelii (adv. Marc. IV, 33). Venit enim qui ad reformatam et illuminandam disciplinae auctioris capacitatem venturus a deo praenuntiabatur, Christus ille filius dei, gratiae disciplinaeque arbiter et magister, illuminator et deductor generis humani (apolog. 21). Cujus doctrinam discipuli diffusi per orbem ex praecepto magistri divulgaverunt (l. c.). Recte quoque et accurate Tertullianus de ratione inter novam veteremque legem intercedente, domini et salvatoris plerumque verbis utens, disputat. Contra Marcionem, qui „discordiam evangelii cum lege“ docebat „aliumque deum evangelii insinuabat adversus deum legis“, „evangelii legisque pacem“ tuebatur (adv. Marc. I, 19; IV, 15, 16), non tacens, magnam etiam inter hanc et illud esse diversitatem. „Si concedimus separationem istam per reformationem, per amplitudinem, per profectum, siéut fructus separatur a semine, cum sit fructus ex semine: sic et evangelium a lege separatur, dum provehitur ex lege, aliud ab illa, sed non alienum, diversum sed non contrarium“ (adv. Marc. IV, 11). Radix evangelii lex (Scorp. 2); extructio potius legis et prophetarum invenitur in Christo quam destructio (adv. Marc. IV, 25). „Jesus Christus secundum populum, quod sumus nos nati in saeculi desertis, introducturus erat in terram promissionis melle et lacte manantem, id est vitae aeternae possessionem, qua nihil dulcius“ (adv. Marc. III, 16). „Et apostolis nullum aliud negotium fuit, dumtaxat apud Israelem, quam veteris testamenti resignandi et novi consignandi et potius jam dei in Christo concepcionandi“ (de resurr. carnis 39). Sunt igitur duo testamenta quodammodo duo enses, vel ensis bis acutus, praeacutus, „quem intelligi oportet sermonem divinum bis acutum, duobus testamentis legis et evangelii, acutum sapientia, infestum diabolo, armantem nos adversus hostes spiritales nequitiae et concupiscentiae omnis“ (adv. Marc. III, 14).

Quanti faciat Tertullianus utriusque legis sacram scripturam, ut ex locis modo laudatis elueet, ita etiam frequentissimo usu satis declarat. Attamen tantum abest, ut sacros illos libros unicum fontem esse arbitretur, unde christiani doctrinam ab apostolis traditam hauriant, ut hoc ipsum haereticis proprium ac peculiare esse dicat, ut nimio plus sacrae scripturae tribuant. Non vetat prohibetque usum, sed vituperat abusum. „Ipsi de scripturis agunt et de scripturis suadent. Aliunde scilicet loqui possunt de rebus fidei nisi ex literis fidei?“ (de praescr. 14). „Scripturas obtendunt et hac sua audacia statim quosdam movent“ (l. c. 15). Obscura enim scriptura nec facilis ad intelligendum, quo fit, ut „in ipso congressu firmos quidem fatigent, infirmos capiant, medios cum scrupulo dimittant“ (l. c.). Quid est enim, quod non probari possit sacrorum librorum auctoritate? „Utique secundior divina literatura ad facultatem cuiusque materiae. Nec periclitior dicere, ipsas quoque scripturas sic esse ex dei voluntate dispositas, ut haereticis materias subministrarent, cum legam oportere esset haereses, quae sine scripturis esse non possunt“ (l. c. 39). „Nihil mirum, si et ex ipsius instrumento captentur argumenta, cum oporteat haereses esse, quae esse non possent, si non et perperam scripturae intelligi possent“ (de resurr. carnis 40). Quae quum ita se habeant, Tertullianus haereticos ad ullam de scripturis disputationem omnino non admittendos esse censem (l. c. 15). „Nihil proficit congressio scripturarum, nisi plane ut stomachi qua ineat eversionem aut cerebri“ (l. c. 16). „Quid promovebis,

exercitatissime scripturarum, cum si quid defenderis, negetur ex diverso, si quid negaveris, defendatur? Et tu quidem nihil perdes nisi vocem in contentione, nihil consequeris nisi bilem de blasphematione“ (l. c. 17). „Ergo non ad scripturas provocandum est nec in his constituendum certamen, in quibus aut nulla aut incerta victoria est aut parum certa“ (l. c. 19). Sed „illud solum disputandum est, quibus competit fides ipsa, cuius sint scripturae, a quo et per quos et quando et quibus sit tradita disciplina, qua fiunt christiani. Ubi enim apparuerit esse veritatem disciplinae et fidei christiana, illic erit veritas scripturarum et expositionum et omnium traditionum christianarum“ (l. c. 19).

3. Ne igitur doctrinae christiana certitudo et constantia cesset et in opinionum varietatem dilabatur, Tertullianus ad alios praeter scripturam sacram fontes veritatis recurrentem esse judicat; ac primum quidem ad „regulam fidei“. Hane autem intelligi vult symbolum quod postea dicebatur apostolicum seu brevem illam et succinctam praecipuorum dogmatum collectionem<sup>8)</sup>, quam ab ipso Christo institutam esse arbitratur. Hoc autem symbolum revera lex est et norma credendi, immobilis et irrefragabilis<sup>9)</sup> (de virg. vel. 1), quae a christianis in quaestione vocari non debet (de praescr. 12). Quum tamen haeretici et hanc ipsam regulam fidei everterent et adulterarent (de monog. 2), sublimiorem intelligentiam et spiritalem praetexentes, Tertullianus regulae fidei regulam traditionis adjunxit.

Christus Jesus, quamdiu in terris agebat, ipse pronuntiabat sive populo palam sive dissentibus seorsum, ex quibus duodecim praecipuos lateri suo allegaverat destinatos nationibus magistros. Quorum decusso uno reliquos undecim digrediens ad patrem post resurrectionem jussit ire et docere nationes. Statim igitur apostoli, assumto per sortem duodecimo Matthia in locum Judae, primo per Iudaem, contestata fide in Jesum Christum et ecclesiis institutis, dehinc in orbem profecti eandem doctrinam ejusdem fidei nationibus promulgaverunt. Et perinde ecclesias apud unamquamque civitatem condiderunt (de praescr. 20). „Quid autem praedicaverint, id est quod illis Christus revelaverit, et hic praescribam non aliter probari debere, nisi per easdem ecclesias, quas ipsi apostoli condiderunt, ipsi eis praedicando tam viva, quod ajunt, voce quam per epistolas postea. Si haec ita sunt, constat perinde omnem doctrinam, quae cum illis ecclesiis apostolicis matricibus et originalibus fidei conspiret, veritati deputandam, id sine dubio tenentem, quod ecclesiae ab apostolis, apostoli a Christo, Christus a deo accepit: omnem vero doctrinam de mendacio praejudicandam, quae sapiat contra veritatem ecclesiarum et apostolorum Christi et dei“ (l. c. 21). „Age jam, qui voles curiositatem melius exercere in negotiis salutis tuae, percurre ecclesias apostolicas, apud quas ipsae adhuc cathedrae apostolorum suis locis praesident<sup>10)</sup>, apud quas ipsae authenticae literae eorum recitantur, sonantes vocem et repraesentantes faciem uniuscujusque. Proxima est tibi Achaja, habes Corinthum. Si non longe es a Macedonia, habes Philippos, habes Thessalonicenses. Si potes in Asiam tendere, habes Ephesum. Si autem Italiae adjaces, habes Romam, unde nobis quoque auctoritas praesto est“ (l. c. 36)<sup>11)</sup>. Ecclesiae vero illae, quae

<sup>8)</sup> de praescr. 3, 13; 3 adv. Prax. 2; de monog. 2; de virg. vel. 1; de jejun. 1; adv. Marc. I, 5. 21; cf. Iren. adv. haer. I, 22; III, 2.

<sup>9)</sup> cf. Iren. adv. haer. I, 9, 4: „κανόνα τῆς ἀληθείας ἀκλινῆ.... δν διὰ τοῦ βαπτίσματος εἴληφε“.

<sup>10)</sup> de cathedra Petri cf. F. X. Kraus, Roma sotterranea, p. 504 seq.

<sup>11)</sup> cf. adv. Marc. IV, 5: „In summa si constat id verius quod prius, id prius quod et ab initio, id ab initio quod ab apostolis, pariter utique constabit, id esse ab apostolis traditum, quod apud ecclesias apostolorum fuerit sacrosanctum. Videamus, quod lac a Paulo Corinthii hauserint, ad quam regulam Galatae sint correcti, quid legant Philippenses, Thessalonicenses, Ephesii, quid etiam Romani de proximo sonent“.

de virg. vel. 2: „Sed eas ego ecclesias proposui, quas et ipsi apostoli vel apostolici viri condiderunt, et puto ante quosdam“.

adv. Marc. I, 21: „Quodsi post apostolorum tempora adulterium veritas passa est circa dei regulam, ergo jam apostolica traditio nihil passa est in tempore suo circa dei regulam, et non alia cognoscenda erit traditio apostolorum, quam quae hodie apud ipsorum ecclesias editur“.

nullum ex apostolicis viris auctorem proferre possunt, ut multo posteriores, quae denique quotidie instituuntur, haberi testes apostolicae traditionis nequeunt, nisi forte in eadem cum illis ecclesiis fide conspirant. Quod si fit, et ipsae propter hanc „consanguinitatem doctrinac“ inter apostolicas recenseri possunt (l. c. 32)<sup>12)</sup>. Apostoli „ecclesias apud unamquamque civitatem condiderunt, a quibus traducem fidei et semina doctrinae ceterae exinde ecclesiae mutuatae sunt et quotidie mutuantur, ut ecclesiae fiant. Ac per hoc et ipsae apostolicae deputantur ut suboles apostolicarum ecclesiarum. Omne genus ad originem suam censeatur necesse est. Itaque tot ac tantae ecclesiae una est illa ab apostolis prima, ex qua omnes. Sic omnes primae et omnes apostolicae, dum una omnes probant unitate communicatio pacis et appellatio fraternitatis et contesseratio hospitalitatis, quae jura non alia ratio regit quam ejusdem sacramenti una traditio“ (l. c. 20.). Quicunque ergo suam doctrinam vult haberi veram, demonstret necesse est, eam de apostolicae traditionis fonte emanare vel, quod idem est, concordare cum doctrina ecclesiarum apostolicarum. Atque hoc de sua valere doctrina, Tertullianus pro certo habet. „Communicamus, inquit, cum ecclesiis apostolicis, quod nulla doctrina diversa. Hoc est testimonium veritatis“ (l. c. 21). Incredibile quoque est, ut c. 22—26 multis argumentis contra haereticos ostenditur, vel ignorasse apostolos plenitudinem praedicationis vel diversa inter se praedicasse (l. c. 25), vel non omnem ordinem regulae omnibus edidisse, sed quaedam palam et universis, quaedam secreto et paucis demandasse<sup>13)</sup>, neque etiam timendum, ne forte apostoli quidem simpliciter et plene, ecclesiae autem suo vitio aliter acceperint, quam apostoli proferebant (l. c. 27). Et si haeretici opponunt, nonnullas ecclesias, quod doctrinam ipsis traditam corrupserint, ab ipso apostolo correptas esse (Gal. I, 6; III, 1; V, 7; I. Cor. III, 1; VIII, 2), credant, eas et emendatas esse. „Sed et illas recognoscant, de quarum fide et scientia et conversatione apostolus gaudet et deo gratias agit, quae tamen hodie cum illis correptis unius institutionis jura miscent“ (l. c. 27).

Negat porro auctor noster fieri potuisse, ut omnes hae ecclesiae in errores et, quum modo de doctrina inter se consentirent, in eosdem errores inciderent. „Ecquid verisimile est, ut tot ac tantae in unam fidem erraverint? Nullus inter multos eventus unus est. Exitus variasse debuerat error doctrinae ecclesiarum. Ceterum quod apud multos unum invenitur, non est erratum, sed traditum“ (l. c. 28). Ne tamen sententiam Tertulliani esse arbitreris, sola traditione ecclesiarum apostolicarum seu ecclesiarum apostolicarum consensione constare doctrinae alieujus veritatem, quum hac de re disserens alio quoque fundamento et multo firmiori nitatur, assistentia videlicet, quae hodie dicitur, spiritus sancti ecclesiis promissa et praestita. „Age nunc omnes erraverint; deceptus sit et apostolus de testimonio reddendo; nullam respexerit spiritus sanctus, uti eam in veritatem deduceret, ad hoc missus a Christo, ad hoc postulatus de patre, ut esset doctor veritatis; neglexerit officium dei villicus, Christi vicarius, sinens ecclesias aliter interim intelligere, aliter credere, quod ipse per apostolos praedicabat: ecquid verisimile est cet.“ (l. c. 28). Hisce ita praemissis concludit: „Audeat ergo aliquis dicere, illos errasse, qui tradiderunt?“ (l. c. 28).

Quemadmodum autem inter omnes ecclesias per orbem terrarum dissitas apostolicae ecclesiae eminent et praecipui haeredes et testes traditionis sunt, ita facile colligas ecclesiam Romanam, „aedificandae ecclesiae petram“ (de praeser. 22), a principe apostolorum conditam, majorem ceteris habituram esse auctoritatem. Et revera quantis hanc p[re]e ceteris ecclesiam, de cuius fide et scientia Paulum apostolum gavismus esse alibi commemorat (de praeser. 27), laudibus efferat, ex hisce videre licet verbis: „Si autem Italiae adjaces, habes Romanam, unde nobis quoque auctoritas praesto est. Ista quam felix ecclesia, cui totam doctrinam apostoli cum sanguine suo profuderunt, ubi Petrus passioni

<sup>12)</sup> cf. Iren. adv. haer. III. 15, 2; IV. 18, 1.

<sup>13)</sup> cf. Iren. l. c. III. 3, 1.

dominicae adaequatur, ubi Paulus Joannis exitu coronatur, ubi apostolus Joannes, posteaquam in oleum igneum demersus nihil passus est, in insulam relegatur! Videamus, quid didicerit, quid docuerit, cum Africanis quoque contesserarit“ (l. c. 36)<sup>14)</sup>.

In ipsis ecclesiis apostolicis haeredes et testes doctrinae traditae habendi sunt episcopi ab apostolis continua successione originem ducentes. Quicunque ergo doctrinam suam esse apostolicam asserit, talem seriem testium usque ad apostolos ductam necesse est proferat atque ostendat. „Edant ergo origines ecclesiarum suarum, evolvant ordinem episcoporum suorum, ita per successionem ab initio decurrentem, ut primus ille episcopus aliquem ex apostolis vel apostolicis viris, qui tamen cum apostolis perseveravit, habuerit auctorem et antecessorem. Hoc enim modo ecclesiae apostolicae census suos deferunt, sicut Smyrnaeorum ecclesia Polycarpum ab Joanne collocatum refert, sicut Romanorum Clementem a Petro ordinatum itidem. Perinde utique et ceterae exhibent, quos ab apostolis in episcopatum constitutos apostolici seminis traduces habeant. Configant talequid haereticī“ (l. c. 32). Et alibi: „Porro quod traditum erat, id erat verum, ut ab iis traditum, quorum fuit tradere“ (de resurr. carnis 2). Tertullianus igitur eos, qui quae sit doctrina ab apostolis tradita discere cupiunt, ecclesiarum apostolicarum episcopos („quorum est tradere“) ut „seminis apostolici traduces“ jubet consulere<sup>15)</sup>.

Haec igitur est regula veritatis, quam ecclesia ab apostolis, apostoli a Christo, Christus a deo tradidit, in qua qui incedunt soli jus habent literarum christianarum; haereticī vero aliam sequentes regulam, quum non sint christiani, ad ineundam de scripturis provocationem omnino non sunt admittendi (de praeser. 37). Ad quos merito dicendum est: „Qui estis? quando et unde venistis? quid in meo agitis, non mei? quo denique, Marcion, jure silvam meam caedis? qua licentia, Valentine, fontes meos transvertis? qua potestate, Apelles, limites meos commoves? Mea est possessio. Quid hic, ceteri, ad voluntatem vestram seminatis et pascitis? Mea est possessio, olim possideo, prior possideo, habeo origines firmas ab ipsis auctoribus, quorum fuit res. Ego sum haeres apostolorum. Sicut caverunt testamento suo, sicut fidei commiserunt, sicut adjuraverunt, ita teneo“ (l. c. 37).

Qui veram regulam fidei sequuntur, non solum doctrinam illibatam, verum etiam sacram scripturam integrum incorruptamque sibi servarunt recteque semper sunt interpretati, quo factum est, ut doctrina in ecclesiis tradita consona sit vero sacrorum librorum sensui. „Etenim quid contrarium nobis in nostris? quid de proprio intulimus, ut aliquid contrarium ei et in scripturis deprehensum detractione vel adjectione vel transmutatione remediaremus? Quod sumus, hoc sunt scripturae ab initio suo. Ex illis sumus, antequam aliter fuit, antequam a vobis interpolarentur“ (l. c. 38). „Ubi apparuerit esse veritatem disciplinae et fidei christiana, illuc erit veritas scripturarum et expositionum et omnium traditionum christianarum“ (l. c. 19).

Adde, quod Tertullianus, quum et locis modo laudatis et alibi unam illam regulam veritatis esse doceat, „quae veniat a Christo transmissa per comites ipsius“ (apolog. 47), simul indicat, etiam sacram scripturam non aliter nec alio modo exponendam esse atque secundum eam doctrinam, quae a Christo et apostolis tradita in ecclesiis adhuc viget, ita ut regula illa veritatis christiana quodammodo clavis sacrorum librorum vocari possit. Idem fere alio loco his exprimit verbis: „Quis nunc medullam

<sup>14)</sup> Quum constet, Tertullianum haereticos impugnantem non novas afferre rationes, sed eandem prorsus ac Irenaeum argumentandi viam ac rationem sequi, non absolum est sumere, similem hisce ac notissimi illis Irenaei de primatu Romani episcopi verbis sententiam subesse, ac proinde Tertullianum quoque illam ecclesiac Romanae tribuere principalitatem potiorem (seu potentiorem), propter quam necesse sit omnem ad hanc convenire ecclesiam. cf. Iren. adv. haer. III, 3, 2.

<sup>15)</sup> cf. Iren. l. c. III, 3, 1: „Traditionem itaque apostolorum in toto mundo manifestatam in omni ecclesia adest respicere omnibus, qui vera velint videre, et habemus annumerare eos, qui ab apostolis constituti sint episcopi cet.“ cf. Iren. l. c. IV, 26, 2.

scripturarum magis nosset, quam ipsa schola Christi? quos et sibi discipulos dominus adoptavit omnia utique edocendos, et nobis magistros ordinavit omnia utique docturos. Cui potius figuram vocis suae declarasset, quam cui effigiem gloriae suae revelavit, Petro, Joanni et postea Paulo, quem paradisi quoque compotem fecit ante martyrium“ (Scorp. 12).

4. Doctrina a Christo tradita et in ecclesiis vigens si ad vitam publicam et privatam et ad mores componendos transfertur, exoritur christiana seu ecclesiastica disciplina, consuetudo, conversatio. Unde merito colligas, hanc etiam consuetudinem ad vitae christianaee regulas explicandas, quumque morum doctrina dogmatis quasi fundamento suo naturali nititur, etiam ad dogmata dilucidanda ac probanda plurimum valere ac proinde non injuria fontem quandam christianaee doctrinae appellari posse. Jure igitur Tertullianus, ut dogmata defendat et haereticos refutet, disciplinam afferit ecclesiasticam. Accurate de consuetudinis auctoritate disserit in libro „de corona“. Quum enim quaestio orta esset, liceretne corona militari caput ornare, quumque alii militem quandam more christianorum coronam illam repudiantem acriter vituperarent, alii laudarent: Tertullianus partes agens militis ad consuetudinem provocat christianam, quam cum legis praeceptis intime cohaerere non ignoravit (apolog. 39). „Omnes ita observant a catechumenis usque ad confessores et martyres vel negatores. Videris, unde auctoritas moris, de qua nunc maxime quaeritur. Porro cum quaeritur, quid observetur, observari interim constat. Ergo nec nullum nec incertum videri potest delictum, quod committitur in observationem suo jam nomine vindicandam et satis auctoratam consensus patrocinio“ (de cor. 2). Hinc simul liquido apparet, unde consuetudinis auctoritas petenda sit: quae si exstat per longum tempus et a multis vel omnibus observatur, stat firma et vim habet legis, quum eam si non e scriptura, at certe e traditione originem habere censendum sit. Nam „quod apud multos unum invenitur, non est erratum, sed traditum“ (de praescr. 28), id quod non solum de doctrina valet, verum etiam de observationibus. „Hanc (observationem) si nulla scriptura determinavit, certe consuetudo corroboravit, quae sine dubio de traditione manavit. Quomodo enim usurpari quid potest, si traditum prius non est?“ (de cor. 3). Traditiones vero suam vim obtinent et auctoritatem, quamvis scripturae testimonio probari nequeant; multa enim „exempla praejudicant aliarum observationum, quas sine ullius scripturae instrumento solius traditionis titulo et exinde consuetudinis patrocinio vindicamus“ (l. c.). Huc referenda sunt variae in baptismate et eucharistia ceremoniae. „Harum et aliarum ejusmodi disciplinarum si legem expostulas scripturarum, nullam invenies. Traditio tibi praetendetur auctrix, consuetudo confirmatrix, et fides observatrix. Rationem traditioni et consuetudini et fidei patrocinaturam aut ipse perspicies, aut ab aliquo, qui perspexerit, disces. Interim nonnullam esse credes, cui debeatur obsequi“ (l. c. 4). Allatis aliquot e veteri testamento exemplis hanc Tertullianus facit conclusionem: „His igitur exemplis renuntiatum erit, posse etiam non scriptam traditionem in observatione defendi, confirmatam consuetudine, idonea teste probatae tune traditionis ex perseverantia observationis. Consuetudo autem etiam in civilibus rebus pro lege suscipitur, cum deficit lex, nec differt, scriptura an ratione consistat, quando et legem ratio commendet“ (l. c. 4).

Haec fere Tertulliani de fontibus veritatis christianaee sententia. Nostrae hac de re commentationi age finem faciamus ipsius auctoris afferentes verba, quibus si non omnia, certe plurima, quae exposuimus, paucis comprehendit. Sub finem enim libelli „de virginibus velandis“ „In his, inquit, consistit defensio nostrae opinionis secundum scripturam, secundum naturam, secundum disciplinam. Scriptura legem condit, natura contestatur, disciplina exigit..... Dei est scriptura, dei est natura, dei est disciplina. Quidquid contrarium est istis, dei non est. Si scriptura incerta est, natura manifesta est, et de ejus testimonio scriptura incerta non potest esse. Si de natura dubitatur, disciplina, quid magis deo ratum sit, ostendit“ (c. 16).

## LECTIONES.

## **A. ORDINIS THEOLOGORUM.**

## A. ORDINIS THEOLOGORUM.

**Dr. Franc. Hipler, P. P. O., h. t. Decanus.**

## **Dr. Franc. Hippler, P. P. O., h. t. Decanus.**

- I. Theologiam pastoralem docebit sexies per hebdomadem hora VIII.
  - II. De statutis synodalibus dioecesis Warmiensis disseret diebus Luna
  - III. Disputationes de rebus theologicis instituet horis definiendis.

Dr. Franc. Dittrich, P. P. O.

- I. Historiam primaevae ecclesiae enarrabit quotidie hora IX.  
II. Jus canonicum tradet ter per hebdomadem horis deff.

Dr. Henry Oswald, P. P. O.

- I. Doctrinam de generis humani lapsu et de ejus redemptione tradet quinque p. hebd. h. X.
  - II. Grammaticam linguae hebr. una cum exercitiis interpret. instituet ter per hebd. horis deff.
  - III. Praemissa introductione aliquot capita libri Geneseos interpretabitur bis per hebd. horis deff.
  - IV. Scholas de lingua gothica comparativas habere perget semel bisve per hebd.

Dr. Hugo Weiss, P. P. E.

- I. Evangelium Johanneum interpretabitur diebus Lunae, Mercurii, Veneris, Saturni h. VIII.
  - II. Introductionem in studium theologicum et Apologeticum tradet diebus Lunae et Jovis h. II.
  - III. Introductionem generalem in sacros V. et N. T. libros dabit diebus Martis et Veneris h. II.

Lic. Jul. Marquardt.

- I. De virtutibus theologicis disseret ter hebdomade h. XI.
  - II. Doctrinae ethicae quae est de virtutibus moralibus partem priorem tractabit bis hebdomade h. XI.
  - III. Historiam literariam primaevae ecclesiae enarrabit bis hebdomade hor. defl.

## B. ORDINIS PHILOSOPHORUM.

---

### **Dr. Laur. Feldt, P. P. O., Decanus.**

- I. Physicen experimentalem docebit et Conversatorium de rebus physicis instituet diebus Lunae et Jovis hora XI—XII.
- II. Astronomiam popularem cum Astrognosia conjunctam exponet semel per hebdomadem.
- III. Theoriam generalem linearum et superficierum curvarum docebit diebus Lunae et Jovis hora II—III.

### **Dr. Jos. Bender, P. P. O.**

- I. Historiam generis humani primaevam resque populorum orientalium enarrabit ter per hebd. h. VIII.
- II. Historiam Prussiae imprimis Warmiae tradet bis per hebd. h. VIII.
- III. Primordia et fata linguae Theotiscae exponet semel per hebd. h. VIII.
- IV. De critica historiae tractandae ratione disseret semel per hebd. hora definienda.

### **Dr. Frid. Michelis, P. P. O.**

Nullas scholas habebit.

### **Dr. Wilh. Weissbrodt, P. P. O.**

- I. Historiam litterarum Graecarum enarrabit bis hebdomade hora IX.
- II. Pindari carmina interpretabitur bis hebdomade hora IX.
- III. Ciceronis de natura deorum libros interpretabitur bis hebdomade h. IX.
- IV. Exercitationes philologicas instituet h. d.

### **Dr. Jos. Krause.**

- I. Introductionem in studium philosophiae tradet bis per hebdom. hora X.
  - II. Logicam et noeticam docebit ter per hebd. hora X.
  - III. Metaphysicam ter per hebd. horis definiendis.
- 

## PUBLICA DOCTRINAES SUBSIDIA.

---

Bibliotheca Lycei Regii, cui praecest **Prof. Dr. Weiss**, commilitonibus patebit diebus Martis et Veneris h. II—III.

Instrumenta, quae ad physicen, mathematicam et astronomiam pertinent, custodit **Prof. Dr. Feldt**.







03824